



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Quæstio II. Proœmialis. De Juris Canonici partibus, & illius citandi praxi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

QUÆSTIO II. PROËMIALIS.

De Juris Canonici partibus, & illius citandi
praxi.

Posset quidem Jus Canonicum adhuc subdividi in Jus scriptum, & non scriptum, ita ut hujus nomine veniant consuetudines, traditiones vel ab ipsis Apostolis ad nostra usque tempora derivatæ, vel ab alijs Juris Auctoribus, & Legislatoribus solâ voce traditæ, & per aliorum relationem, sive etiam per scripturam horum posteriorum ad nos propagatæ; scripti verò Juris nomine illud veniat, quod scripto nobis latum est, quia tamen major difficultas est in cognoscendis varijs partibus Juris scripti, omisâ hac divisione, de solius Juris scripti partibus sermo nobis erit.

Jus ergò scriptum desumptum est, vel ex Sacra Scriptura, vel ex Decretis & Canonibus Conciliorum, vel ex constitutionibus, ac decretalibus, epistolis, aut responsis Summorum Pontificum, vel ex placitis & constitutionibus Principum sæcularium, vel ex sententijs Patrum, ita tamen, ut nec Conciliorum decreta, nec Principum sæcularium constitutiones, sive Leges, nec Patrum dicta, aut sententiæ vim, & auctoritatem Canonicæ legis, totam Ecclesiam obligantis habeant, nisi auctoritate summi Pontificis in Corpus Juris Canonici (Decretalium scilicet, aut aliarum Pontificarum constitutionum) fuerint recepta, & Canonizata. Neque tamen dedignantur Sacri Canones alias etiam leges civiles in judicando, & egendo &c. sequi, etiam si ex defectu au-

thoritatis in istarum Legislatore robur & auctoritatem legis obligantis in foro Canonico non habeant, si tamen nihil contra bonos mores, aut Canonum decreta, vel Sacram Scripturam decernunt, neque expressè, & nominatim de rebus & personis Ecclesiasticis statuunt; & idèd ait Archidiacono apud Valsensem in suis Prolegomenis §. 6. n. 6. quòd leges civiles, quando non obviant Sacris Canonibus, tacitè censeantur approbatæ.

Totum autem hoc jus scriptum 5. partes præcipuas ac principales in se continet: Decretum; Decretales; Sextum; Clementinas; & Extravagantes, tam Joan. 22. quàm quorundam aliorum Pontificum, in Corpus Juris receptas. Prima ergò pars Juris Canonici est Decretum, quod à Compilatore suo dici solet Decretum Gratiani, & ab hoc inscribitur Concordantia discordantium Canonum, ac collectum fuit à Gratiano, Monacho Ordinis S. Benedicti, ex varijs Sacræ Scripturæ textibus, decretis, & responsis Pontificum, & Conciliorum, tam Generalium, quàm particularium, legibus Romanorum Imperatorum, sententijs SS. PP. ac proprijs ipsius Gratiani verbis, quibus immiscentur etiam capitula aliqua sub nomine Paleæ, quod nomen aliqui putant significare nomen ejusdam, qui Gratiani discipulus fuit; alij dicunt nomen hoc significare Cardinalem aliquem, qui horum capitulorum auctor fuerit, & vel

vel Palea dictus fuerit, vel suæ Gratiani collectioni admiscuit, sicuti Palea admiscetur tritico. Dividitur autem hoc Gratiani decretum in tres partes, quarum prima continet distinctiones centum & unam, in canones sive capitula divisam; ita ut in 20. prioribus distinctionibus agat Gratianus de Juris Ecclesiastici elementis, principijs, fontibus & dignitate; inde usque ad 93. agat de Cleri, seu personarum Ecclesiasticarum origine, institutione, ac forma instituendi, vita, moribus, & officijs; & inde usque ad finem ultimæ distinctionis, de principatu Pontificis, & universæ jurisdictionis Ecclesiasticæ, sive Pontificæ præstantia sive dignitate. Secunda pars continet 36. causas, quarum quælibet in plures quæstiones, & quæstio quælibet in Capitula, seu Canones dividitur, ita tamen, ut causa 33. q. 3. in 7. distinctiones, de pœnitentia, subdividatur; in qua secunda parte varia genera causarum explicantur, quæ sub jurisdictionem Ecclesiasticam cadunt. Tertia denique pars continet Tractatum de consecratione, in 5. distinctiones divisum, & in plura capitula, seu canones subdivisum, in quibus varia de consecrationibus rerum factatû, Sacramentis, ritibus & Cæremonijs Sacris &c. continentur. Et quia Gratianus homo privatus fuit, qui nullam habuit legis ferendæ auctoritatem, hinc quæ in hoc decretum collecta sunt, nullam vim, aut auctoritatem Legis Canonice obtinent, nisi in Decretalium libris, aut aliâ legitimâ auctoritate Pontificis v. g. canonizata, aut decisa sunt. Solent autem, quæ in Decreto hoc continentur, juxta partium diversitatē diverso modo citari; quæ in prima parte in distinctionibus repeti-

untur, citantur hoc modo, *can. vel cap. Nulla ratio. dist. 62. can. Quoniam. dist. 100.* id est in distinctione 100 in canone vel capitulo (quod communiter sumitur hîc pro eodem) quod incipit à verbo. *Quoniam.* in distinctione 62. in canone, qui incipit à verbis. *Nulla ratio.* Quæ in secunda parte repertiuntur, citantur hoc modo. *Can. Nullus primas. 9.* (nonnunquam additur rō causa) q. 2. id est, in secunda parte decreti in causa. 9. in quæst. 3. in capitulo vel canone, qui incipit. *Nullus Primas.* Si verò ex distinctionibus de pœnitentia citetur aliquid, additur citationi ordinariæ rō de pœnit. *dist. 1.* hoc modo *can. Pœna. 33. q. 3. de pœnit. dist. 1.* vel omittis prioribus tantum dicitur. *Can. Pœna. de pœnit. dist. 1.* cujus citationis valor est, ac si dicerem: in 2. parte Decreti, in causa 33. in quæstione 3. in distinctione 1. sub titulo de Pœnitentia, in capitulo vel canone, qui incipit, à verbo. *Pœna.* In 3. parte quæ continentur, hoc modo citantur: c. *Non dico de consec. dist. 5.* id est, in 3. parte Decreti, sub titulo seu rubrica de consecratione, in distinctione 5. in canone vel capitulo, quod à verbis: *Non dico:* inchoatur.

Secunda pars Juris Canonici sunt quinque Libri Decretalium in varios titulos divisi, & quilibet ferè titulus in plura capitula subdivisus, ex Mandato Gregorij IX. Summi Pontificis per Raimundum de Pennafort Ordinis S. Dominici Religiosum, Summi Pontificis Capellanum & Pœnitentiarium (nunc Sanctorum numero adscriptum) collecti. Dicuntur autem hi libri Decretales, eò quòd in illis contineantur plurimæ decretales Epistolæ Summorum Pontificum ad varias

rias propositas quaestiones dissolvendas missæ, quæ vim legis obtinent. Ordo autem librorum horum est iste, ut in primo libro, post explicata communia quædam Juris principia, agatur de Modo constituendi Prælatos Ecclesiasticos, & ordinandi personas Ecclesiasticas, ac varijs earum personarum officijs, & tandem in fine libri aliqui tituli subjungantur, in quibus aliqua habentur, quæ ad principium judiciorum referri possunt. In secundo libro examinentur ea, quæ ad judicium, & ad judicialem processum pertinent. In 3. quæ de Clericorum obligationibus, vel de Regularibus, vel etiam de quibusdam, quæ Clericis cum Laicis communia sunt, uti sunt varij contractus, testamenta, sepultura &c. quæri possunt. In 4. quæ propria sunt Laicis, uti sunt Sponsalia, Matrimonium, & his annexa. In 5. denique libro agatur de delictis, eorum accusationibus, & Inquisitionibus ac pœnis; ut adeò reorè librorum horum ordo, & potissima materia hoc versu exprimat. Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimè. Dicuntur autem hi libri etiam antiqui respectu sexti Decretalium, & aliorum recentiorum jurium, & citari solent, quæ in illis continentur, prima verba Capituli allegando, vel sola, vel addendo *in* capite. (quod communiter sub minuto *c.* significatur) & rubricam seu titulum, sub quo Capitulum illud continetur v. g. *c. Dudum. de præbendis. c. Dilecti. de appellat. &c.* id est sub titulo de appellationibus (qui titulus in 2. libro Decretalium reperitur, quia materia de appellationibus præsertim in judiciis locum habet) in capitulo, quod incipit à verbo. *Dilecti*, addunt aliqui huic citationi

in extra. capit. *Dilecti. extra. de appellat.* quod Titulum hunc extra Decretum Gratiani quaerere debeas, non video tamen hujus *in* extra addendi necessitatem, cum ea, quæ in Decretis continentur, alio modo citentur, ut dictum, & consequenter satis discerni possit, etiam si *in* extra non addatur, utrum hoc, quod citatur in Decretis, aut Decretalibus contineatur. Quod idem etiam dici potest de Civilistarum citatione, juxta quam & ipsi *in* Extra addunt, si quid ex jure Canonico citant, inveniunt per hoc, quod textus citatus reperitur extra jus suum Civile, quia tamen discrimen juris Civilis citandi, & citandi juris Canonici aliunde satis habetur, consequenter neque ad hunc finem necessarium est *in* Extra apponere.

Tertia pars Juris Canonici est Sextus Decretalium à Bonifacio VIII. ex varijs diversorum Pontificum Gregorij X. Innocent. IV. Clementis IV. ac aliorum, ac proprijs etiã Bonifacij IX. responsis collectus, & sub annum 1298. promulgatus, in quo speciales aliqui, qui illis temporibus emerferunt casus, continentur, & quod in prioribus deest, suppletur, aut meliùs declaratur: & quamvis hæc etiam pars quinque libris constet, eodem ordine, & sub iisdem titulis (non tamen omnibus) quibus priores Decretalium libri constant, in capitula etiam & paragraphos divisus, sexti tamen nomine venit, quod prioribus quinque sub antiquorum nomine venientibus, additus sit. Eodem modo citari solet, quo citantur antiqui Decretales, nisi quod in fine citationis addatur *in* 6. v. g. *c. si motu proprio de præbendis. in* 6. id

id est sub titulo de præbendis (qui sicuti in antiquis in 3. libro Decretalium reperitur, ita etiam in hoc libro in sexto habetur) in sexto libro Decretalium, vel in libro, qui inscribitur sextus Decretalium, in capitulo, quod incipit, *si motu proprio*: habet hic liber eandem Auctoritatem cum 5. libris antiquis Decretalium, & in illis, in quibus aliter loquitur, ac antiqui, etiam præfertur.

Quarta Pars Juris Canonici dicuntur Clementinæ (subintellige Constitutiones) quas Clemens V. ex suis, in concilio Viennensi, sub annum 1310. celebrato, Constitutionibus, ac Decretalibus Epistolis collegit, eaque tandem, quod Clemens V. morte præventus exequi non poterat, Successor ejus Joannes 22. in lucem dedit, distribuit illis in 5. libros, ac Titulos, & Capitula, juxta modum & ordinem antiquorum Decretalium & sexti; & quamvis pauciores Titulos ac Capitula Clementinæ hæc contineant, sunt tamen ejusdem cum antiquis & sexto auctoritatis. Citantur capitula sub nomine Clementinarum, vel si capitula exprimentur, additur saltem, in Clementinis, ut sciri possit, qua in parte Juris Canonici capitulum illud inquiri debeat, dicendo v. g. *Clement. 1. ad nostrum, de hæreticis*. vel *c. ad nostrum, de hæreticis, in Clementinis*. ist est, in 4. parte Juris Canonici, quæ Clementinæ inscribitur, sub titulo de hæreticis (qui sicuti in antiquis & sexto, ita hæc etiam in 5. libro Clementinarum harum constitutionum habetur) in capitulo, quod incipit *Ad nostrum*.

Quinta denique pars Juris Canonici continet Extravagantes Joannis 22. (Constitutiones, quas numero 20. juxta ordi-

nem Decretalium Joannes 22. Successor Clementis V. fecerat) quibus postmodum aliæ etiam Constitutiones, ac sub alijs Pontificibus factæ accesserunt, ac sub nomine Extravagantium communium in Corpus Juris receptæ sunt; ut eandem hodie cum alijs Decretalibus auctoritatem habeant: & quamvis Extravagantium nomine eæ Constitutiones Pontificiæ veniant, quæ extra Corpus Juris Canonici habentur, retinent tamen hæc speciale Extravagantium nomen, quamvis in corpus Juris receptæ sint, quod ob suam paucitatem, & diversorum Pontificum auctoritatem certum nondum nomen sibi appropriaverint. Citantur prout alia capitula Decretalium, nisi quod addatur *inter Extravagantes Joan. 22. vel in Extravagantibus communibus*: vel quod loco capituli nomen Extravagantis ponatur, cum addito Joannis 22. vel inter communes, dicendo v. g. *extravag. Ambitiosa, inter communes; de rebus Ecclesie non alienandis*. vel *c. Ambitiosa, in communibus Extravag. de rebus Ecclesie non alienandis, Extravag. Quorundam*, vel *c. Quorundam, in extravag. Joan. 22. de V. S.* id est in 5. parte Decretalium inter Extravagantes Joan. 22. sub Titulo de verborum significatione, in capitulo, quod incipit à verbo. *Quorundam*.

Accessit deniq; his omnibus liber septimus Decretalium, quem ex varijs Pontificum Constitutionibus, juxta ordinem titulorum, cum antiquis Decretalibus communem, in 5. etiam Libros collegit Petrus Mathæi, Jurisconsultus Lugdunensis; quæ collectio, cum à nullo Pontifice auctoritatem aliquam sumpserit, manent relatæ in illo libro Pontificum Constitutiones in eo valore,

lore, quem independenter ab hac collectione habent, & non aliter ac aliarum Bullarum Pontificiarum citantur, sub nomine scilicet illius Pontificis, qui Constitutionem talem fecit, addendo, prima Bullarum vocabula, & annum, ac diem, quæ Bulla talis emanavit. v. g. in *Constitutione*, seu *Bulla Sixti IV. DEO & hominibus*. 14. Aprilis. 1484.

Ceterum quamvis libri Decretalium, & quæ in Corpus Juris Canonici tanquam Pontificiarum Constitutiones, aut Decretales epistolæ, receptæ sunt, auctoritatem habeant legitimam ad omnes Christi fideles obligandos, ita ut jus faciant, non tantum in foro Canonico ad decidendas lites, sed in foro etiam Civili,

in certis quibusdam casibus, juxta dicta, omnino observandum, nisi per posteriora jura correctæ illæ sint, aut per contrariam consuetudinem, vel præscriptionem, vel per contraria statuta particularia auctoritate Sedis Apostolicæ facta, vel confirmata derogatum eis jam sit; aut earum aliqua in particulatibus terris nunquam receptæ fuerint; novissimo tamen Concilij Tridentini jure, universalem Ecclesiam obligante, non aliter ac alia Concilia generalia à supremo Pontifice approbata, quod antiquo juri in aliquibus derogatum fuerit, negari non potest; uti pluribus patet ex *Thesibus super hac re disputatis Ingolstadij* 1681.

T I T V L V S I.

DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

QUæritur 1. quænam proponantur credenda in *c. 1. h. t.* *Resp.* proponi 1. firmiter credendum, quod unus, solus, verus sit DEUS, una essentia simplex, & tres Personæ, ex quæ consubstantiales, coæquales, coomnipotentes, & coæternæ; & quod hic DEUS Unus & Trinus sit unum universorum Principium, Creator omnium visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium, qui scilicet ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, Angelicam scilicet & mundanam &c. 2. Propo- ni credendum firmiter mysterium incarnationis. 3. Quod una sit fidelium uni-

versalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. 4. Quod detur verum Sacramentum Missæ, cujus Minister sit tamen Sacerdos, ritè ordinatus, secundum claves Ecclesiæ; & quod detur Sacramentum Baptismi, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, tam parvulis, quam adultis, in forma Ecclesiæ conferendum: & quod relapsi post Baptismum per veram penitentiam semper possint reparari: & 5. denique proponi firmiter credendum, quod non solum virgines & continentes, sed etiam conjugati, per rectam fidem, & bona opera, ad æternam beatitudinem pervenire mereant.